# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

# PNEUMONIA.

# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS,
DE
# *PNEUMONIA;*

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES JACKSON,

*ANGLO-BRITANNUS.*

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1800.

HENRICO CHAYTOR,

Armigero,

Qui poſtquam pro Patria ſua,

Multis in præliis vitam objecerat,

Nunc,

Stipendio emeritus,

In ſinum familiæ,

Et

Otium honorificum,

Se magna cum laude recepit;

Ob inſignem erga me meoſque

Benevolentiam,

D. D. C.

JOANNES JACKSON.

Patri ſuo cariſſimo,

Qui vitæ donum

Innumeris aliis beneficiis

Cumulavit,

Et uſque a teneris annis

Viam ſcientiæ ei patefaciendam

Curavit;

Has ſtudiorum primitias,

Exiguum quidem,

Sed ſincerum,

Pietatis et obſervantiæ

Teſtimonium,

Confecrat

FILIUS.

When all at once from indolence to toil
You ſpring, collected in the paſſive veins,
The purple maſs a ſudden torrent rolls,
O'erpowers the heart and deluges the lungs
With dangerous inundation: Oft the ſource
Of fatal woes, a cough that foams with blood,
Aſthma, and feller peripneumony.

Armstrong.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

# *PNEUMONIA.*

*JOANNE JACKSON* AUCTORE.

NULLUM corporis humani viſcus ad inflammationem proclivius eſt pulmone, nec ullus morbus dignior cui animum intendat medicus, quam is quem mihi tractandum propoſui; quoniam partes quas afficit munere adeo ad vitam neceſſario funguntur, ut ne breviſſimo quidem tempore, ſine ſummo periculo, vel etiam morte præſenti, intermitti poſſit.

Diverſa nomina inflammationi pneumonicæ ab auctoribus impoſita ſunt, prout ſedem ejus eſſe diverſam putârunt. Cum pleura viſa eſt affici, *pleuritis* vocabatur; cum parenchyma pulmonis, nomen *peripneumoniæ* indiderunt. Nec inter medicos adhuc convenit de parte primò affectâ, cum alii morbum originem in vaſis ſanguiferis, alii in bronchiis, alii in pulmonis parenchymate habere contendant. Quidam, inter quos eminet Dr CULLEN, pleuram primò invadere arbitrantur. Verba ſunt: "To me it ſeems probable, that the diſ-"eaſe is always ſeated, or at leaſt begins, in "ſome part of the pleura, taking that mem-"brane in its greateſt extent, as now com-"monly underſtood, that is, as covering not "only the internal cavity of the thorax, but "alſo as forming the mediaſtinum, and "as extended over the pericardium and over "the whole ſurface of the lungs *." Sed, perpenſis variis excitantibus cauſis, quibus

citur,

* Cullen's Firſt Lines.

pulmo, ex officio quod præſtat, perpetuo objicitur, qualis eſt ſtatus aëris, vel chemice vel mechanice contaminatus, oportebit, ut mihi videtur, a CULLEN diſſentire, et ad ſententiam equitis J. PRINGLE potius accedere: "We ought "to conſider theſe two diſeaſes as one, in "which the lungs are always inflamed, and "often without the pleura, but the pleura "never without the lungs *." Sed hæc opinio nimium generalis videtur; medium igitur quiddam nobis tenere liceat, hunc ſcilicet morbum in quâdam parte parenchymatis pulmonum originem ſuam plerumque habere. Noſter MONRO etiam ſatis ſuperque demonſtravit, pleuram non eâ ſenſibilitate, quæ vulgò ei tributa ſit, præditam eſſe. Hæ autem opinionum diverſitates feliciter parvi ſunt; nam quæcunque pars ſedes ſit inflammationis, nullum fere ſignorum diſcrimen ſe oſtendit, nec ulla alia medendi ratio nobis ſuadetur.



* Pringle on Diſeaſes of the Army.

In animo eſt igitur, exemplum Doctoris Cullen ſequenti, inflammationem, ſive pleuræ, ſive parenchymatis, ſub uno nomine *pneumonia* concludere, cujus definitioni a Cullen, nihil, meâ quidem ſententiâ, vel addi vel detrahi poteſt.

"Pyrexia, dolor ex quadam thoracis parte, "reſpiratio difficilis, tuſſis."

Primo hujus morbi acceſſui plus minuſve febris generalis ſe ſemper adjungit, ut rigor, calor auctus, pulſus frequens, languor, inquietudo; interdum alia quoque ſigna, ſed raro; antequam enim attentione digna evadant, et præſertim antequam dolor ſentiatur, pyrexia plerumque formata eſt. Nonnunquam a principio, ſemper brevi poſt, tuſſis vel mitior vel gravior, cum dolore in pectore, nunc acuto, nunc obtuſo, morbum comitatur. Pulſus plerumque plenus, durus, validus, et frequens, præſertim cum dolor vehemens eſt; ſi dolor ſit

ſit mitior, plenus, et mollis. Difficultas ſpirandi varia quoque eſt in diverſis ægrotis; in quibuſdam reſpiratio parum impeditur, in aliis ægerrime et magno cum dolore, præſertim in inſpirando, perficitur. In latus affectum decumbendo hæc difficultas plerumque augetur, aliquando autem in alterum; nunc æger ſupinus, nunc erectus, facilius reſpirat, ſed etiam tum magno cum labore, humeriſque ad cavum thoracis ampliandum ſublatis.

Nec dolor ſemper eandem ſedem occupat; nunc in dorſo inter humeros, nunc in ſuperiore vel inferiore parte laterum, nunc ſub ſterno ſentitur; ſed ſpatium inter quintam ſeptimamque coſtam, pars eſt corporis maxime obnoxia. Quod quidam dixerunt, dextrum latus ſæpius quam ſiniſtrum dolere, haud ſatis obſervatione fultum videtur. Tuſſis initio plerumque ſicca; ſed cum morbus invaluit, ſuccedit *expectoratio*, et materia ejecta colorem et ſpiſſitatem variam induit; primo tenuis, paulatim craſſior evadit, ſæpe ſanguine tincta, interdum

interdum etiam ex puro ſanguine conſtat. Noſter RUTHERFORD dicit, inflammationem pulmonis nunquam ſine expectoratione abire, ejuſque ſubitam ſuppreſſionem fere ſemper mortem inducere.

Status quoque primarum viarum diverſus eſt, ſolutâ nunc, nunc adſtrictâ alvo ægrum cruciante; necnon urina, morbo procedente, ſpeciem ſuam exuit; primò limpida, ſub finem valde colorata, et ſedimentum lateritium deponens.

In Pneumonia, velut in cæteris morbis inflammatoriis ubi ſyſtema vaſorum multum excitatur, lymphaque coagulans attenuatur, hæc lympha minus ad coagulandum proclivis eſt; rubris particulis plus temporis eſt ad ſubſidendum: itaque cum ſanguis miſſus quieſcere finitur, lympham globulis rubris liberatam cernere eſt, in ſuperficie craſſamenti coagulatam, et ſpecie coriaceâ albâ indutam. Sin autem ſanguis

ſanguis uſque ad coagulationem agitetur, lympha a rubris particulis non ſegregatur, nec ulla ſuperficies coriacea invenitur. Hæc ſunt ſigna quæ plerumque morbum comitantur, in pejus mox evaſura, niſi malo ars medica feliciter obſtet.

Morbo enim progrediente, reſpiratio multo fit difficilior, tuſſis vehementius inſtat, et æger, contra eam ſummis viribus nitens, ſentit dolorem auctum, qui ab altero ad alterum latus aliquando tranſit, vel ita ut æque in utrumque latus vim exerceat; inquietudo et perturbatio inſolita ſupervenit; vigilia perpetua ægrum exagitat; ac ſi ſomnum breviorem forſitan capiat, ſomniis terrificis potius perturbatur, quam ſopore blando lenitur. Signa febrilia ingraveſcunt, pulſus fit frequentior et parum regularis; vaſa oculorum non modo turgida, verum etiam plura, quam corpore ſano, apparent; facies inflata, vel etiam tumefacta; ſequitur virium proſtratio, cum alvo nimis ſolutâ, et dejectioni-

bus

bus crebris ac liquidiſſimis; labia et gingivæ liveſcunt; pulſus adeo debilis, ut digito vel minime depreſſo penitus evaneſcat; ſudores viſcidi caput, cervicem, denique totum corpus irrigant. Delirium, coma, ſubſultus tendinum, cum exſcreatione ſuppreſſâ, ſuperveniunt, et tandem, pulmone munere fungi recuſante, dolor ægroti morte ſublevatur.

## DE TERMINATIONIBUS PNEUMONIÆ.

Præter tres terminationes inflammationi cujuſque generis communes, reſolutionem, ſuppurationem, et gangrænam, una eſt, morbo de quo agimus propria, et, cum exitus funeſtus eſt, longe creberrima, effuſio nempe ſanguinis in cellulas pulmonis, brevi circuitum ſanguinis per hoc viſcus prohibitura. Signa quæ hanc effuſionem enunciant ſunt, virium ſubita et inſignis proſtratio, faciei livor, ceſſatio doloris improviſa et univerſa, ſputum ſuppreſſum, reſpiratio admodum

admodum difficilis, et ſenſus oppreſſionis vix tolerandus. Eodem tempore quo ſanguis in pulmonis veſiculas funditur, fit quoque effuſio ſeri, cujus magna pars ex lympha coagulabili conſtat, e tota pleuræ ſuperficie: aliquando in diſſectione fruſta materiæ coagulatæ coſtis adhærentia, aut in liquore natantia, inveniuntur. Similis effuſio interdum in bronchiis occurrit; ſæpe pulmo colorem rubrum nigreſcentem et hepatis inſtar præbet, texturam autem denſiorem, aquam imam petentem.

Veruntamen, ſi remedia idonea mature fuerint applicata, terminatio raro eſt adeo injucunda, et reſolutio, finis omnium maxime optandus, induci poteſt; ad quod perficiendum, omnia remedia initio morbi dirigere oportet. Hujus terminationis præcurſor, vel potius comes, eſt quædam e corpore excretio, quæ maxime efficax eſt, cum denſa materies, alba aut ſubflava, ſanguine tincta, ſine tuſſi violenta expectoratur. Huic eventui fauſto plerumque con-

ſociatur ſudor copioſus totumque corpus irrigans, cum ſignorum febrilium diminutione: Sanguinis quoque e naribus veniſve hæmorrhoidalibus effuſio, larga urinæ ſedimentum deponentis emiſſio, et materiæ bilioſæ per alvum depoſitio, finem morbo, ſed rariſſimè, impoſuiſſe dicuntur.

Spatium temporis quo duret Pneumonia, magna ex parte, a ratione morbi pellendi et vi ſignorum pendebit; quæ ſi, quanquam vitæ minentur, reſolvi tamen poſſunt, reſolutio plerumque fit ante ſeptimum diem; ſin minus gravia, multo ſerius. Si tamen morbus uſque ad decimum quartum vel decimum ſextum diem, ſine remiſſione producatur, vix dubium eſt quin ſuppuratio adſit; quamvis non deſint exempla, ubi morbus longe diutius permanſit, et tandem reſolutione finitus. Cum autem tuſſis ſicca, et tremores frigidi, et ſpirandi difficultas maneant vel augeantur, pulſuſque fiat debilior, permagnum eſt periculum ſuppurationis;

ſi

ſi his ſignis accedant etiam doloris remiſſio cum ſenſu ponderis ſupra thoracem, inquietudo in decubitu, pulſus celeritas aucta, et exacerbationes nocturnæ, ſuppurationem revera formatam eſſe, non amplius dubitandi locus eſt.

Pneumonia in gangrænam rariſſime abit. Si forte aliquando abeat, cognoſcitur, ſecundum Rotheram, " by a purulent ſpitting ſtreaked " with blood, of a deep colour, or with a " blackiſh matter; by a fetid breath, a " rattling in the throat, a dejected counte- " nance, dim eye, a languid quick pulſe; by " the blood when drawn from a vein being " void of the inflammatory cruſt, fetid green " ſtools in abundance, and by urine of a " bright flame colour, depoſiting a ſediment " of a ſcaly appearance*."

Quum morbus non tam gravis quam diuturnus exſtiterit, et vires ægroti multum defecerint,



* Rotheram's Notes to Cullen's Firſt Lines.

rint, nonnunquam in hydrothoracem abit, quod ſcire licet a dolore minuto, eâdem, quæ antea urgebat, ſpirandi difficultate, multum in aſcenſu auctâ, inquietudine in ſtatu ſupino, repentinis in ſomno ſubſultibus, et ſenſu cujuſdam rei in thorace fluctuantis.

Quanquam hæc ſint ſigna hydrothoracem indicantia, in caſu tamen noſtri MONRO curæ credito, quemque ipſe in amico meo miſerrimum vidi, etſi, manum ad latus applicando, concuſſio humoris facile ſentiri, et ſonitus procul audiri poſſet, tamen nec reſpiratio difficilis, nec ſubiti in ſomno ſubſultus, quæ ſigna pathognomica ducuntur, aderant. In hoc ægro, tamen, aqua minime per totum thoracis cavum fluitabat, ſed inter quartam quintamque coſtam ſiniſtri lateris tantum ſentiebatur, ideoque in ſacco contineri viſa eſt.

Si unquam, quod dubium eſt, in ſchirrum pneumonia abeat, veri ſimillimum eſt, tuber-

cula

cula prius non abfuiffe, quæ ab hoc morbo nihil nifi magnitudinis incrementum acceperunt.

## DIAGNOSIS.

Si definitio hujus morbi fit jufta, non opus erit de DIAGNOSI multa dicere; definire enim quid eft, nifi figna cuique morbo propria in unum conferre, quæ eum morbum ab omni alio fecernere valeant? Minime quidem difficile videtur Pneumoniam inter omnes dignofcere, demptâ peripneumoniâ nothâ. Nofter GREGORY, in prælectionibus fuis, verbis hujufmodi utitur: Cum tuffim gravem crucianatemque comitatur magna, præfertim per infpirationem, difficultas fpirandi, hic morbus tam facile cognofcitur quam ophthalmia aut cynanche tonfillaris. Sed quoniam non eft femper adeo facilis notu, morbos memorabimus, inter quos et pneumoniam fimilitudo quædam intereffe

tereſſe putatur, nempe *peripneumoniam nothам, hepatitidem, rheumatiſmum*, et *carditidem*.

*Peripneumonia notha*, ſecundum quoſdam medicos celeberrimos, quorum principes ſunt Doctores GREGORY et CULLEN, gradu tantum, non genere, a pneumonia differt. In illâ ſigna febrilia ſunt minus gravia; oppreſſionis et ponderis, magis quam doloris, ſenſus in thorace; non, niſi ætate provectos, invadit, habitu pituitoſo præditos, et diuturnâ liquorum ardentium ingurgitatione debilitatos, dum, contrà, pneumonia validis viribus et ſanguine multo gaudentes aggreditur.

Ab *hepatitide* multo etiam facilius dignoſcitur, nec, niſi magnâ incuriâ, in hac diagnoſi falli poſſumus. In hepatitide, pars affecta ſæpe tumeſcit, nec eadem eſt ac in pneumonia; dextrum latus ſemper et ſolum dolet; dolor decubitu in latus ſiniſtrum, vel partem premendo,

mendo, multum augetur, et ad ſummum dextri humeri claviculamque aſcendit, tuſſi ſiccâ ſimul comitante. In hepatitide, febris, ſaltem in hac terra, lenior eſt ; accedunt etiam vomitus ſingultuſque, et cutis faciem ſubflavam aliquando induit, quæ *diagnoſin* etiam faciliorem præbet.

Diagnoſis pneumoniæ et *rheumatiſmi* muſculos intercoſtales afficientis, paullo obſcurior eſt ; quanquam, animum diligenter advertendo, multa ſigna in hoc morbo deeſſe reperiemus, quæ in illo principem locum obtinent, qualia ſunt, magna ſpirandi difficultas, tuſſis angens ; ſigna quoque pyrexiæ plerumque mitiora exiſtunt.

*Carditis* et pneumonia multa habent ſigna utriſque communia, ut tuſſim, *dyſpnœam*, et moleſtiam ; nec inter hos morbos facile eſt diſcrimen ſtatuere. Sed, feliciter, nullam injuriam ægro inferemus, etiam ſi in hac diagnoſi fallamur, cum eadem medendi ratio in utroque

valeat.

valeat. Signa quæ vulgo diagnoſtica habentur ſunt palpitatio et ſyncope, itemque pulſus parum regularis, qui carditidem comitatur, ſed qui in ultimo pneumoniæ gradu etiam inventus eſt.

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnis ætas et corporis conditio non æque huic morbo obnoxiæ ſunt, nec omnibus anni tempeſtatibus pari paſſu graſſatur, niſi ſubitæ vices cœli a calore fiant, ad frigus, quæ omni tempore, eum inducere poſſunt. Quo fit, ut in vere et autumno latiſſime vagetur. Quidam ſententiam huic oppoſitam defendunt; ſubitis cœli mutationibus induci concedunt, non autem a calore ad frigus, ſed vice verſâ; frigus eſſe prædiſponentem, et calorem excitantem cauſam arbitrantes. Morbi impetus homines fibrâ tenſâ et rigidiori, ac temperamento ſanguineo, potiſſimum vexat; unde fit ut ruſticos

rusticos et agricolas sæpissime pro victimis deligat. Homines sæpius quam fæminas aggreditur, non modo quia fibram rigidiorem illi habent, sed etiam quia causis excitantibus magis sunt obnoxii. Has autem cum invaserit, multo plus periculi est; ut enim harum irritabilitas major, ita signa inflammationis concitatiora esse minantur, et ut debilitas quoque major est, ita effusio magis timenda. Nulli ætati proprius est, quanquam in eos maxime incidit, qui inter quadragesimum et sexagesimum annum ætatem agunt. Mala thoracis conformatio, quæ transitui sanguinis per pulmonem obstat, et ita congestioni omnibusque malis ab ea orientibus obnoxios reddit, ad hunc causarum ordinem etiam referri potest. Sed omnium maxime efficax, est mira ista ad morbum proclivitas, in iis qui malo jam laborârunt. Dr Rush Philadelphiensis se alterum vicies quater, alterum vicies sexies hoc morbo correptum vidisse narrat.

## CAUSÆ EXCITANTES

In duo genera dividi poſſunt: aliæ enim in pulmonem ipſum agunt, aliæ totum afficiunt corpus. Generi priori referendæ ſunt omnes organorum reſpirationis nimiæ contentiones, velut in vociferando, aut canendo vel voce vel tibia, aliove inſtrumento inflando; omnes etiam vapores noxii, acres præſertim ſive edaces, quales ab arſenico, ſulphure, vel acido marino exhalantur; omnes quoque impuri ſtatus aeris, ſive ex admiſtione, ſeu ex principii vitalis redundantia oriantur.

Secundo generi omnes thoraci illatas injurias referimus; ſed uſu compertum eſt, multo frequentiorem cauſam eſſe frigus, præſertim cum, humore conjunctum, corpori calenti applicatur. Unde fit ut cutis exhalatio impediatur, obſtrictis vaſis extremis, et ſpiraculis cutis frigore

gore occlufis. Liquores frigidi in ventriculum recepti, podagræ, rheumatifmi, et hepatitidis tranflationes, hunc morbum excitare putantur, et catarrhus rubeolaque fæpe in pneumoniam gradatim labuntur.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Omnia indicia quæ in pneumonia occurrunt, nihil opus eft nunc enumerare; ea tantum quæ univerfa funt, et quæ morbum certiffime notant, perftringam.

Ex caufis excitantibus longe creberrimam effe frigus fupra diximus, quod materiæ perfpirabilis exitum fubito prohibet, et in corpus redire cogens pyrexiam facit.

Spiritus difficultas ex duabus caufis oriri videtur, congeftione fcilicet, et dolore. Dolor hunc morbum femper comitatur, et per ple-

nam inſpirationem augetur, unde reſpiratio debilis et ardua; et hoc modo agere videtur ſanguinis in pulmone congeſtio, quòd aeris liberum curſum per ipſum impedit, quod crebrioribus reſpirandi conatibus pulmo rependere molitur.

Tuſſis ab iiſdem cauſis oritur quæ reſpirationem impediunt, præcipue a congeſtu, qui membranam mucoſam bronchiorum adeo irritat, ut tuſſis excitetur. Cum relaxatio ſupervenit, tuſſis humida fit, et inſolita ſecretio muci acris occurrit.

Sputa ſanguine tincta, vel ex minimis vaſis nimiâ actione ruptis, oriuntur, vel quia adeo relaxantur, ut globulos rubros per ora effugere ſinant.

Dolor acutus auctæ actioni vaſa ſanguifera diſtendenti referatur neceſſe eſt; in latus affectum decubitus nonnunquam facilior, in alterum

terum vero difficilis, ab adhæſione pulmonis et pleuræ pendere videtur.

Rubor faciei et oculorum, partim reditui ſanguinis impedito, quem vena cava ſuperior reducit, partim vi circuitus ipſius auctæ, tribuendus eſt.

Color lividus faciei et gingivarum ex hoc oritur, quod ſanguis in pulmone non accipit quod plerique nunc conceſſerunt eſſe OXYGENIUM, quodque neceſſarium eſt colorem rubrum inducere, vel ſanguinem venoſum in arterioſum mutare : " Hæ mutationes chemicæ " ſanguinis in pulmone maxime pendere viden" tur a puro aëre, (qui exigua tantum pars eſt " communis aëris quem ſpirare ſolemus), in " ſanguinem quodammodo accepto, et probe " cum eo permiſto *." Quo minus hanc mutationem ſalutiferam ſanguis ſubeat, congeſtio prohibet, necnon effuſio in pulmonis veſiculas, quæ liberum aeris aditum ad omnes partes effuſione affectas impedit.

PROG-

* Conſpect. Med. Theor.

## PROGNOSIS.

Quum pulmo ita ſit tenuis ac delicatus, et munere adeo ad vitam neceſſario fungatur, ut appelletur *vitale*, manifeſtum eſt, minimam a ſtatu ſano aberrationem periculum haud parvum minari : *prognoſis* ergo, niſi in caſibus admodum levibus, ſemper debet eſſe cauta.

A rebus ſequentibus perpenſis præcipue deducenda eſt : 1*mo*, A ſtatu febris generalis ; 2*do*, A reſpiratione ; 3*tio*, A tuſſi. Tempus quo duret morbus attentionem quoque meretur ; nam quo diuturnior, eo periculoſior eſt, vitæ viribus pedetentim confectis, et corpore contra impetum tam gravis morbi non amplius valente. Quinetiam effuſio in pulmonem a debilitate magis eſt timenda. Dolor ab altero latere ad alterum errans, ſpirandi tanta difficultas, ut vix, ac ne vix quidem, niſi corpore erecto,

erecto, et tum multo cum labore, ſpiretur, delirium, tumor et livor faciei, in quibuſdam partibus ſudores, pulſus parum regularis, et alvus ſolutiſſima, ſigna ſunt maxime injucunda; cumque morbus huc uſque proceſſerit, exitum funeſtum depellere fere ſemper fruſtra conabimur. Contra tamen, ſi febris ſit mediocris, ſpiritus non admodum difficilis; ſi dolore minuto inſpiretur, et tuſſim minus violentam libera ac larga materiæ albæ ſpiſſæque expectoratio comitetur; ſi æger in utrumque latus decumbere poſſit, felix fauſtaque ſit noſtra prognoſis. Eryſipelas in quâdam parte externâ corporis cum remiſſione ſignorum, ſi non cito evaneſcat, augurium felix habetur.

## RATIO MEDENDI.

Nullus morbus eſt qui opem præſentiorem poſtulat, et in quem remedia, rite et mature adhibita, majus beneficium conferunt, quam pneumonia; niſi quidem rationem infra memorandam

randam tempeſtive ſequamur, morbus plerumquè, effuſioni ſuffocationem inducente, ad finem infauſtum celeriter contendit. Quæ cum ita ſint, pro virili parte contra progreſſum mali nitendum eſt, et ita ut reſolutionem promoveamus, eodemque modo hic agere oportet quo in aliis inflammationis generibus utimur, ratione tamen ad violentiam ſignorum uſumque partium affectarum, habitâ.

Cum primum morbus appareat, cauſæ excitantes, ſi poteſt fieri, ſunt amovendæ; et ratio conſequendi hujus medico prudenti, prout res poſtulent, ſeſe protinus offeret. Res acres quam longiſſime abſint; ſi non poſſunt vitari, ad ea fugiendum, quæ vim noxiam corrigere valeant.

Duo ſunt, quibus toto animo incumbere oportet:

1*mo*, Ut actionem auctam ſyſtematis univerſi, ideoque partis affectæ, minuamus;

2*do*,

2*do*, Ut exſcreationi faveamus.

His rebus feliciter effectis, ut robur ſyſtemati reſtituamus, nitendum eſt.

Præterea, moleſta ſigna ſunt levanda, quorum ſunt quæ morbum non parum graviorem reddunt.

Ad primam harum rerum conſequendam, regimen antiphlogiſticum diligentiſſime ſervandum eſt, etiamſi ſigna adeo ſint mitia, ut tantâ præſcriptionis ſeveritate minime digna appareant. Inter remedia reſolutioni promovendæ idonea, princeps eſt ſanguinis miſſio, remedium nunquam in principio prætermittendum; apud omnes enim medicos conſtat, nihil magis ad minuendam actionem vaſorum conferre, quam depletionem, nec hanc aliter tam certe et celeriter quam ſanguine detrahendo fieri poſſe. Itaque, cum primum morbus appareat, ad ſanguinis miſſionem fugiendum; et ſanguinem quam celerrime, ideoque non parvo

foramine, detrahere oportet. Quo enim magis ſubita, eo utilior eſt ſanguinis miſſio ; quoniam compertum habetur, uncias decem ſubito detractas plus commodi afferre, quam multo plures ex ore parvo manantes. Quantum ſit ſubducendum cognoſcere licet ex ſignorum violentiâ, viribus ægri, duratione morbi, et effecto priorum, ſi quæ fuerint, miſſionum, de quo judicare poſſumus a reſpiratione facili reddita, pulſuque minus frequenti, et, ſi antea contractus fuit, nunc pleno ac firmo. Beneficium mittendi ſanguinis plerumque ſtatim ſentitur.

Nonnunquam dolor illico levatur, quinque tantum aut ſex unciis detractis, et æger qui, ante ſanguinem miſſum, verbum eloqui nequibat, felicem ſtatus ſui mutationem prius enunciare poteſt, quam poculum parvum ſanguinis ſit detractum. Raro autem fit, ut æger prima detractione multum ſublevetur ; itaque, niſi in pauculis horis ſe oſtendit remiſſio, iterum, ſed minus quam antea copioſe, ſanguis mittatur.

tur.

tur. Ter, quater, vel etiam ſæpius detractionem repetere par eſt; raro autem, ſi prima et ſecunda recte ſint factæ. Sed prudentis medici eſt, ut res poſtulat, decernere, quantus et quam ſæpe ſanguis ſit detrahendus.

Minime vero venæſectioni ſoli medelam morbi credere debemus; nam etſi impune repeti poſſit, quamdiu pulſus firmus, neque facile compreſſus, nec facies languore ac pallore cooperta eſt; tamen, cum morbus diu urſerit, et vires miſeri multum defecerint; cum vultus ſit languidus pallidusque, et labia liveant, detractio ſanguinis non modo periculoſa, verum etiam funeſta evadere poteſt.

Superficies coriacea concreti ſanguinis non ſuadet nobis detractionem repetendam; nam non deſunt exempla ægrorum qui ſanguinis miſſione mortui ſunt, quanquam ſuperficies coriacea uſque ad extremum vitæ ſe oſtenderit.

Cum detractio tam sæpe iterata fuit, ut febrem generalem lenierit, æger multum *epispasticis* sublevabitur: ante hoc tempus, nihil proderunt, quippe quæ auctam actionem partium affectarum minuere non valent. Plurima quoque de injuria quam in principio morbi, priusquam sanguis sit sæpius missus, inferunt, apud auctores inveniuntur. Sed de beneficio tempestivi epispasticorum usus inter plerosque convenit; et tali modo agere videntur:

1*mo*, Actionem partis potissimum affectæ minuunt, et in partibus vicinis augent.

2*do*, Excretionem gignunt, atque ita impedimentum sanguini circumeunti adimentia, ad partem cui applicantur sanguinis fluxum augent.

Postremo, expectorationem fere statim promovent. Ut epispasticum parti dolenti applicetur plerumque præcipitur, quanquam fertur

beneficium

beneficium afferre, in quacunque parte corporis adhibeatur.

In hoc morbo *diaphoretica* quoque utilissima sunt reperta. Si fluidorum cursus ad cutem reprimatur, ad pulmonem augetur. Hujus medicamentorum generis utilitas ex hoc pendere videtur, quod fluida a pulmone ad cutem vertant, atque ita congestionem in visceribus prohibeant; eum quoque statum vasorum extremorum submovent, qui circuitui naturali in superficie corporis obstat. Diaphoretica stimulantia vitanda sunt; nullis melius creditur quam salibus neutris refrigerantibus, præsertim cum basim habent ammoniam; nec frustra his adjiciuntur parvæ doses medicamenti cujusdam ex antimonio parati.

*Diluentia* etiam, et imprimis subacida, parce sumpta, et crebrò iterata, opem in medendo præbebunt; sitim, quæ valde irritat et vexat,

leniunt,

leniunt, exſcreationi favent, fauces abſtergent, et ad mucum ejiciendum idoneas reddunt.

*Cathartica* in hoc, velut in omni alio morbo ſanguinis miſſionem poſtulante, ſunt utilia: adminiſtranda ſunt ita ut alvum modice ſolutam ſervent. Hujuſmodi multa et varia ſunt genera; quorum draſtica rejicienda, et ſalina, qualia ſunt ſoda vitriolata, cryſtalli tartari, manna, &c. anteponenda. Enemata quoque adhibere licet, et a quibuſdam in principio morbi præ aliis feruntur: ſyſtema minus irritare videntur, nec immerito principem locum ſibi vindicant.

Cum ſigna minantia conatibus noſtris ceſſerint, *expectoratio* promoveatur inhalando aquæ calidæ vaporem, aceto, ſi videtur, permiſtæ. Eodem conſilio balneum calidum maxime laudatum eſt, cum ad gradum nonageſimum ſextum Fahr. pervenerit; et magno cum beneficio, ſaltem apud exteras gentes, adhibitum fuiſſe

fuiſſe fertur. Remedium videtur attentione medici digniſſimum, quippe quod irritationem ſedat generalem, exſcreationem et diaphoreſin promovet. . Opium, quanquam initio morbi minime ſumendum, tamen cum omnia ſigna inflammatoria miteſcunt, at tuſſis, dolorem ciens, ſomnum fugans, adhuc manet, remedium invenietur admodum efficax; tuſſim lenit, ſoporem inducit, expectorationem promovere fertur, cui melius favebit, ſi una cum ſcilla exhibeatur.

Rebus ita ad felicem exitum perductis, denique ut vires corpori reſtituantur, ad priſtinum victum paulatim redeundum eſt, ne cibi nimium ingerendo, vires ventriculi opprimantur, qui una cum reliquo corpore debilior eſt, quam ut munere ſtrenue fungatur.

Cibus ſit non modo exiguus, verum etiam alimentarius, digeſtuque facilis, quale eſt juſculum bovinum aut vervecinum, et panis

coctus;

coctus; caro quoque ipsa concedatur, sed pauxillum, et juvenum animalium; nam horum fibræ multo sunt teneriores, partemque alimentariam vi digerenti facilius tradunt.

Temperatus etiam vini usus ad sanitatem restituendam confert: systema roborat, vim vasorum, ideoque in fluida inclusa actionem auget, atque ita eam partem victus, quæ in sanguinem solum agit, citius efficacem reddit. Ad hoc cortex Peruvianus, eodem, quo vinum, modo agens, conferet, et hæc duo, sub forma infusionis, conjuncta exhibere licet, si ventriculus perferre queat; sin minus, sub forma decoctionis; quanquam prior ratio longe optima habetur.

Æger quoque, ut pristinam valetudinem recuperet, sese sub dio, quantum vires patiantur, exercere debet, simulque, ne usque ad fatigationem producatur, cavere.

Balneum

Balneum frigidum, quanquam optimum sit tonicum, non prius intrandum est, quam ægroti vires partim sint redditæ, et signa omnia pulmonalia remota.

Tractatione hujusmodi prudente, cito animus vigorque ægro accedent, et, ad pristinam valetudinem se indies appropinquantem sentiens, gaudebit.

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

## ERRATA.

P. 2. l. 22. *pro* citur, *lege* pulmo,
P. 24. l. 2. *pro* effufioni, *lege* effufione
P. 26. l. 20. *pro* oftendit, *lege* oftendat